

Perillustris et Clarissime Domine.

An PUTEANI avunculi mei, BELLI ET PACIS STATERA ad te pervenit dubita.

Nobilissime DOMINE, Musarum Decus.

Pro Socero meo IOANNE TIERCYO favorem tuum nuper imploravi, quem, et sic meipsum, rursus Benignitati Tuae commendare audeo, ut Securitatis meae tessera (cujus exemplum sic adiungo) non omnino mihi inutilis sit. Munere enim à Secretis in Senatu Regio Meesliniensi iam auctus, omnem rei Rusticae curam in Socerum transtuli, ut hoc modo non minus mihi, quam illi, praedium Vthemianum commodum nobis adferat. Novum hoc, et ab HUGENIO profectum, beneficium erit, si, quae mihi concessa est Securitas, in Socerum meum transferri queat, ut, qui nobis oneri hactenus fuit, subsidio ac solatio esse possit; juvare familiam nostram, cum in praedio Vthemiano Securus erit. Commendat quoque hanc petitionem meam, Optimus Pater, qui in hac Soceri Securitate stabilimentum familiae meae ponit. Audi, et admittite ab animo preces, o Magne Heros! et beneficium mihi olim datum, indulge Socero; videbor sic et ego eadem Tessera semper frui. Vale, Nobilissime Domine et Patrone, ac me ama. Lovanii, in Arce, quo, ad Natalitia Optimi Parentis exereveram, quae in Prid. Non. hujus mensis incidunt, ac Parentem in annum LXXI. rapiunt.

SVMME VIR,
Permitte, ut et ego.
sic nomen meum adiungam, cultum exprimam, quamvis nuperis literis adumbratum; imò permittite, ut petitionem filii, tanquam meam Humanitati tuae commendem, aeternis ingenii tui, et Musae cultor,

Kalendis Novembris, MDC. XLIV.

Nobilissimo Nomini Tuo
semper obstrictus
Iustus Puteanus.

Erycius Puteanus

187

